Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

de Mauriennensi S. Joannis Tourensi

numerum servorum suorum, diviserunt linteum cum gutis suis, quæ non sine grandi admiratione urbibus intulerunt. Et quia locus ille Mauriennensis ad Tauriennensem quondam urbem pertinebat, tempore illo, quo Rufus erat Episcopus, ait Archidiaconus ejus ad eum: Non est æquum, ut hoc pignus in loco viliori teneatur: sed surge, et illud accipe, et defer ad Tauriennensem ecclesiam, quæ plus popularis habetur. Cui ille respondit: quia hæc agere non audebat. Archidiaconus dixit: Ego hoc deferam, si permittis. Et Episcopus: Fac, quod libet. Tunc Archidiaconus accedens ad locum, dum vigilias celebrat, mittit manum ad capsulam. Mox amens effectus, accensus febre, die tertio expiravit. Factusque est timor magnus omnibus: nec quisquam ultra beata pignora ausus est mutare. Tacet, ut vides, Gregorius nomen Mulieris: ~~cujus~~ tacet tempus translationis, nisi quod tempore Rufi Episcopi Taurinensis jam factam insinuat: tacet multas ~~alias~~ duos alios digitos, et multas prætereaque circumstantias.

(c. 560) Turin (cathedr. S. Joannis)

Tours: Guntramnus sed 3. an c. 550

Guntram-in Orléans - 561-567 (593)

Prolixius Auctor Anonymus Mauriennensis in vita MS. S. Tigriæ apud Papebrochium ad 25 Jun. Fuit in diebus præstantissimi Regis Burgundiæ Guntramni, mulier nomine Tigria, orta in territorio Mauriennensi, loco qui Volonium vocatur, nobili stirpe progenita, sacrisque literis sufficienter instructa: quæ curam Sacerdotum et Peregrinorum non parvi pendens, sed (ut facultas permittebat) hospitalitati semper inserviens, indigentibus necessaria ministrabat. Habebat autem sibi sororem Pigmeniam nomine; quæ conjugalem societatem quondam habuerat, sed defuncto marito continenter vivens, sororis contubernio et doctrina in divinis cultibus et pauperum obsequiis se devote subdiderat. Vacabant itaque ambæ jejuniis et vigiliis, atque sanctorum locorum visitationibus. Hæc et alia pietatis opera agentibus accidit, ut Monachorum religiosorum frequentes adventu, qui ex Jerosolymitanis partibus in Scotiam pergere fatebantur. Apud quas cum triduo demorarentur: de Reliquiis S. Joannis Baptistæ, volente Domino, cum illis habuerunt colloquium, dicentes, eum decollatum fuisse apud quoddam Arabiæ castellum, quod Macherunta nominatur, et apud civitatem Sabmaria, quæ nunc Sebaste dicitur, conditum; --- (hic recitatur historia Inventionis sacri Capitis) offa